



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

3. Rationi congruit, &c. Historica relatio vitæ, mortis, miraculorum,
Beatificationis & Canonizationis B. Joannis à S. Facundo, ab Alexandro VIII.
in Sanctorum numerum relati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Diaconus Card. Ottonobonus S. R. E. Vicecancellarius.
 Ego Carolus S. Mariae in Cosmedin Diaconus Card. Bichius.
 Ego Aloysius S. Mariae in Porticu Diaconus Card. Homodeus.
 Ego Jo. Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus.
 Ego Laurentius S. Mariae in Aquiro Diaconus Card. de Alteriis.

Loco + plumbi

B. Card. Prodatarius

J. Franciscus Card. Albanus

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Historica relatio vitae, mortis, miraculorum, Beatificationis & Canonizationis B. Joannis à S. Facundo, ab Alexandro VIII. in Sanctorum numerum relati.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

III. *Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

RActi congruit, & convenit aequitati, ut ea, quae Romani Pontificis provida deliberatione, ac Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Romanâ Curia commorantium unanimi consilio decreta, definita, & statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu Literae Apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Exordium.

Christus Ecclesiae afflictae de Sanctis vitiis non raro providet.

Cujus rei praclarum exemplum fuit Joannes de S. Facundo, ab Alexandro VIII. Canonizatus.

Canonizationis processus enarratur.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexander Papa VIII. Praedecessor Noster pia secum consideratione perpendens, quod gloriosus in Majestate sua unigenitus aeterni Patris Filius Christus Dominus, & Redemptor Noster, qui omnes homines vult salvos fieri, & veniens in hunc mundum pacem evangelizavit, & Caelorum summitate prospiciens conditionis humanae dignitatem, satis nunquam deploratâ miseriâ, cui primi Parentis culpa dedit initium, deformatam criminumque tenebris obscuratam ineffabili semper dispositione providit, ut suis apte temporibus exurgerent viri Sanctitate conspicui, qui hominibus senescente mundo in pejora ruentibus adjutrices manus porrigerent, & gliscentium vitiorum spinas de Ecclesiae vinea evellerent, ac tanquam lucernae inter effusas peccatorum tenebras viam ad caelestem Patriam monstrarent.

§. 2. Et hinc dum Hispania partim Mahumetanâ perfidia, & Saracena tyrannidis pertinacibus adhuc reliquiis occupata, partim frigescente charitate praepotentibus, ac pluribus diâ praesertim simultatis vitiis languebat oppressa, ad illuminandas obtenebratas peccatorum mentes, eosque revocandos ad viam salutis & pacis, Joannis de Sancto Facundo nuncupati Spiritum suscitavit, qui in tempore iracundiâ factus reconciliatio, ac aemulatus charismata meliora, ore simul, & opere doceret, quanta erga Deum aestuaret charitate, quanta in proximum dilectione, quantoque contra vitia, & dissidia afficeretur odio factus contra ea declamator acerrimus.

§. 3. Justum proinde idem Alexander Praedecessor ratus, ut eximum hunc virum virtutibus, & miraculis praclarum, quem coronâ expressâ signo Sanctitatis Dominus redimiverat in Coelis, Sanctorum etiam Laureâ coronaret in terris, operi jamdiu petraetâ Canonizationis ultimam manum admovit, servatis tamen servandis, & praeviis legitimis processibus, quorum summam juxrà memo-

rati Praedecessoris praordinationem ad perpetuam rei memoriam, & Christi fidelium adificationem hisce Apostolicis Litteris duximus recensendum, ut sequitur.

§. 4. In oppido Sancti Facundi vulgariter Se-hagun nuncupati, eaque Hispaniae parte, quae vergit ad septentrionem propè Diocesim Legionensem post diurnam matris sterilitatem piis parentum precibus impetratus Joannes circa annum reparatae salutis millesimum quadringentesimum trigessimum natus est: ut verò sortitus erat animam bonam, piè à parentibus educatus, coepit ab ipsa pueritia non obscura dare futurae sanctitatis indicia.

Joannis praefati nativitas.

§. 5. Praeventus enim à Domino in benedictionibus dulcedinis, & inde puerilia pertæsus, ac de pace condiscipulorum sollicitus, quae ad concordiam, bonos mores, pietatem, caeteraque virtutes conferebant, illis proponebat, ejusque Zelo succensus, qui linguas infantium facit esse disertas, ubi vel locus, vel faxum prominens occurrebat, mirâ supra ætatem facundia concionabatur, innocenti praesignans tyrocinio, quantus, quamque proficiuus praeco altissima veritatis esset futurus.

Indicia pueritiae.

§. 6. Aetate, & virtute adolescens humanioribus literis, Philosophiae, & Theologiae, multoque magis pietati operam dedit apud Monachos Sanctorum Facundi, & Primitivi. Interim verò ordinatus in Clericum, Beneficio, cui cura animarum imminebat, per Vicarium, donec ad Presbyteratum promoveretur regendo, Patre adnente praeponebatur. At Evangelicum documentum boni pastoris cognoscens oves suas, & ab illis cogniti reformidans, atque inde anxius tum de ovibus non pastoris, sed mercenarii custodiae, quamvis temporaliter creditis, tum de fructibus non suae, sed interpositae personae labore partis, illibatam conscientiam, cujus stimulis angebatur non prius, quam eodem Beneficio dimisso pristinae tranquillitati restituit.

Adolescentiae studia & Promotio in Clericum.

§. 7. Emenso studiorum curriculo inter Episcopi Burgenfis familiares adscitus, ea enituit morum honestate, praeclearaque indolis specie, ut apud ipsum intimam nactus benevolentiam, & gratiâ valens, pro omnibus, praesertim pro pauperibus ad suum Pastorem confugientibus non inutilis intercessor existeret, Sacris insignibus Ordinibus à memorato Episcopo amplo Ecclesiae Burgenfis Canonicatu donatus post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris, sed manum suam inopi liberaliter aperiens, & palmas suas extendens ad pauperem, uti fidelis dispensator, & prudens, uberes dicti Canoniciatus, & aliorum Beneficiorum fructus dispersit, dedit pauperibus, ut justitia ejus maneret in seculum seculi.

Episcopi Burgenfis familiaritas, & donatio Canoniciatus Ecclesiae Burgenfis.

§. 8. Nec tamen hic substitit ardens ejus Deo placendi, & servendi desiderium, sed ut proprium electorum est, ire de virtute in virtutem, ad altiora respiciens, & Christum propter Christum non propter sua quaerens familiaria, quo apud praefatum Episcopum Burgensem fugebatur ministerio. Canoniciatus, & Beneficium omnibus abrenunciatis, solisque elemosynis pro Missae sacrificio ad sui sustentationem contentus, ferventiùs orationi, & attentius sacrorum librorum lectioni animum adjunxit, & ne sibi solum, sed aliis viveret, coepit verbum Dei magno auditorum concursu, parique profectu in eadem Burgenfi Civitate annunciare.

Beneficiorum abdicatio & verbi Dei annunciatio.

§. 9. Irreperat tunc Salmanticae summa, & impunis peccandi licentia, adeoque exarserant potissimè inter Nobiles intestina odia, & pertinacia dissidia, ut inde Civitas in efferatas factiones scissa, maxima animorum acerbitate caedumque frequentia saeviret, quando aeterna Majestas charitatem servi sui, ut illic tanquam pacis Angelus pergeret, excitavit. Piis ibi operibus, & verbi Dei praedicationi pro viribus, & utiliter plurimorum annorum spatio addictus, nihil timuit, nihil recusavit, nihil omisit, ut animas è peccatorum caeno eruens Deo lucrificeret, & civiles flammis rore pietatis, & imbre praedicationis extingueret.

Quomodo in Inestinis Civitatibus dissidia se gesserint.

§. 10. Sed ut Dei virtus in infirmitate Joannis

Morbus calculorum &

magis

1691.

votum cape-
ssendi
Instituti
vitæ Reli-
giosæ, red-
ditum in
Religione
Eremita-
rum S. Au-
gustini in
Conventu
Salmanti-
censi.

Gradu Bac-
calareus,
Ordine Sa-
cerdos, &
emissa
professio.

Apostoli-
cus in re-
primendis
sceleribus
spiritus &
fervida Ci-
viles dis-
cordias com-
ponendi in-
dultria.

Admini-
stratio Sa-
cramenti
Pœnitent-
iæ.

Charitas
erga pau-

magis eluceret, gravi calculorum morbo corripitur, a quo cum non posset, nisi extremo, & ancipiti sectionis remedio Medicorum iudicio liberari, in eo, qui sanat omnes infirmitates, confusus, votum voti Religiosæ vitæ Institutum capeffendi, si ab eodem gravi morbo, graviorique sectionis discrimine ad majorem Dei gloriam convalesceret. Exaudivit Dominus deprecationem servi sui, qui pristina restitutus sanitati, reddidit Altissimo vota sua in Religione Eremitarum Sancti Augustini, selecto Salmanticensi Conventu, ubi Regularis disciplinæ strictior observantia vigeat.

§. 11. Annum agens probationis, licet ætate provectus, gradu Baccalareus, Ordine Sacerdos, tantâ enituit humilitate, modestiâ, & obedientiâ, ut tamquam lucerna super candelabrum luceret omnibus, qui in domo erant, tyrocinium quippe Religiosæ virtus veterana præcesserat. Emisâ professione per arduas Regularis perfectionis semitas abnegando semetipsum, jactoque profundo fundamento humilitatis in sublime virtutum confurrexit, & exinde animarum Zelo magis exardens, ac propterea omnia sufferens, omnia sustinens, in Deo, qui perennis charitas est, mansit, & Deus in eo.

§. 12. Superfeminaverat interea humani generis inimicus plura, & pejora vitiorum, & recrudescentium diffidiorum zizania, ad quæ eradicanda è clauetro revocatur Joannes, qui Religionis lorica, & Dei virtute præcinctus, pietatis inimicos sic in Domino adorfus est, & persequutus, ut non converteretur, donec desicerent. Apostolico Spiritu infurgebat in scelera, & fervido simul, ac facundo charitatis impetu sic vehebatur in odia, ut furdæ alioquin pacificis consiliis aures, & indurata inveteratis peccatis, & simulatibus peccata non possent resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur per os ejus. Hinc ut civium discordias eveleret, aliquorum magis pertinacium odia in se ipsum convertit, dum illis vitia exprobrat, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui, at nullis injuriis revocatus, nullis periculis, vel minis teritus unquam potuit à sancto opere dimoveri, sed potius persecutionem patiens propter justitiam animo semper invicto nunquam fuit promptior, quam inter discrimina, nunquam fortior, quam inter adversitates, si tamen aliquando Divinum Verbum feminavit in lacrymis, uberes etiam manipulos plumarum animarum Deo reconciliatarum in exultatione messuit. Cum iis, qui odio habebant pacem, erat pacificus, & Evangelici Samaritani instar fauciarum animarum misericordiâ motus, easdem oportune modo compungebat vino acris comminationis Divini iudicii, modo fovebat oleo sperandæ remissionis peccati. Non è suggestu solum, sed in privatis colloquiis peccatores ad pœnitentiam, & discordes revocavit ad pacem. Naturâ mitis, aspectu jucundus, eloquio suavis, audientium conciliabat affectus, extinguebat odia, arcebat vindictas, felix mediator pacis, potens intercessor veniæ, strenuusque Salmanticensium diffidiorum dissipator, & sedator: Nec mirum quia Divino magisterio instructus ad aram Sacris operans de iis, quæ ad animarum salutem, & diffidentium pacem annuncianda erant, ab ipso Christo Domino erudiebatur.

§. 13. Muneri concionandi Ministerium addebat Sacramenti Pœnitentiæ, ut qui ab acceptâ justificationis gratiâ per peccatum exciderant, Deo reconciliarentur. Impiger operarius in vineâ Domini audiendis confessionibus pœnitentium, quia famâ Sanctitatis, & experientiâ charitatis affecti ad eum jugiter confluebant, gnæviter, & proficue incumberebat, alios dulci sermone recreans, alios suavi simul, & gravi correptione ad contritionem excitans, & à recidivis lapsibus præmuniens, gnæviterque restitutionem rei alienæ esse actum justitiæ ad salutem necessariam, suspensâ interim absolutione contentes ad illam peragendam non verbis solum, sed opportunis factis coadjuvabat.

§. 14. Eodem charitatis impulsu frequenter

consolabatur afflictos, invisebat ægros, & quæsitis eleemosynis inopiam pauperum subleabat, felix perditarum animarum venator, profuitarum præsertim mulierum, quas concionibus, cohortationibus, precibus, & quæsitis similiter opibus à dæmonis servitute redemptas victimas ab impudicitis purificatas offerebat Deo in holocaustum acceptabile.

§. 15. Nec secundum dumtaxat ex duobus mandatis, in quibus universa Lex pendet, & Prophetæ, dilectionis nimirum erga proximum fideliter servavit, sed multo magis primum, & maximum ardentis amoris, quò ferebatur in Deum ex toto corde suo, in totâ animâ suâ, & in totâ mente suâ. Hinc in seculo voluntariæ paupertatis studio pinguis Beneficia Ecclesiastica dimisit, effusus in preces, in Dei meditatione defexus, & operibus pietatis addictus à mundo ejusque illecebris segregatus vivebat. In Clauetro autem trium veterum exactissimus cultor, ac virtutum præfulgens exemplar, & quasi cœlestem vitam agens, corpus suum hostiam viventem, & animam sanctam Deo placentem semper exhibuit, & tamen in hac innocentia vitæ, & cordis simplicitate singulis diebus non semel salutari Pœnitentiæ Sacramento magis purificari concupivit, quasi cum Psalmistâ ad Dominum incessanter clamaret; Amplius lava me.

§. 16. Cum igitur immaculatus ambulasset in Lege Domini, & toto corde exquisivisset eum, meruit singulari charismate Cœlestis Beatitudinis suavitatem in hac vitâ prælibare. Eo enim fidei, & charitatis ardore rapiebatur in Deum in augustissimo Missæ Sacrificio, ut Cœli gaudia prægustans, Christum Dominum Sole splendidiorem, & lucidiora stellis vulnera exhibentem intueretur, vivis è fontibus Salvatoris hauriens in gaudio fluentia vitæ, & arcana Cœli mytheria, unde ab Altare post longum temporis intervallum divelli vix poterat, quotidianâ discens experientiâ, quam suavis esset Dominus, ejus mirâ dulcedine superfusus, quia tunc demum planè satiaretur in gloria Dei, cujus eximii & perfecti doni descendens à Patre luminum præter plurimos testes, & historicos omni fide dignus relatur, & Prædicator extitit Sanctus Thomas de Villanova, qui post obitum S. Joannis in eadem Religione, & Præfultu Valentino suaves virtutum omnium odores effudit.

§. 17. Postremò cum bonum certamen certavisset, cursum consummavisset, fidem servavisset, Sacramenti Ecclesiæ effuso cordis affectu receptis properans ad Coronam Justitiæ, die undecimâ Junii anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo nono piè sanctæque obdormivit in Domino, qui fidelem servum suum miraculis ad ejus intercessionem patris clarificavit.

§. 18. Famâ igitur Sanctitatis, quæ eo vivente invaluerat, post obitum in dies excrecente, piæ mem. Paulus Papa III. etiam Prædecessor Noster prævio examine processuum anni 1488, & 1525. ordinariâ auctoritate factorum, per suas in forma Brevis expeditas Literas die 22. Maji 1542. confessionem novorum processuum super puritate Fidei, Sanctitate vitæ, & miraculis B. Joannis delegavit, quibus absolutis, & postmodum jussu recolendæ memoriæ Clementis Papæ VIII. pariter Prædecessoris Nostri, primum Hieronymum Pamphilium, & Joannem Garziam Millinum tunc causarum Palatii Apostolici Auditores, deinde per bon. mem. Cæsarem tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Baronium, Silvium tituli Sancti Salvatoris in Lauro, Antonianum, & Robertum tituli Sanctæ Mariæ in viâ Bellarminum nuncupatos S. R. E. Presbyteros Cardinales, ex quibus Antonianus vitæ, & miraculorum relationem exaravit, & demum ad eorundem Cardinalium relationem à Congregatione Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum diligenter recognitis, & examinatis; idem Clemens Prædecessor piis claræ memoriæ Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici, ac Collegii maximi S.

1691.
peres, æ-
gros &c.
& mulie-
rum profui-
tatur in
restitutio.

Amoris er-
ga Deum
exercitiâ.

Cœlestis
beatitudinis
hac in vitâ
prægustus

Beata Mors

Pauli III.
Clementis
VIII. & In-
nocentii
X. super
hac re dif-
positiones

Bartholomei, nec non Prioris, & Fratrum Conventus S. Augustini Salmanticensis, ac Provincialis, & Fratrum ejusdem Ordinis Provincia Castellæ precibus benignè annuens, de supradictorum Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum voto, ut in Ecclesiâ S. Augustini Salmantici, ubi Corpus ejusdem Beati Joannis etiam tunc requiescebat, & summâ veneratione asservabatur, Officium, & Missa de Communi Confessoris non Pontificis singulis annis post die ejus obitum, nempe die duodecimâ Junii ob festivitatem S. Barnabæ antecedenti die undecimâ cadentem, liberè & licitè celebrari posset, similibus in formâ Brevis Literis die decimâ nonâ Junii 1601. datis indulgit, & hujusmodi indultum idem Clemens Prædecessor prius ad universum Ordinem Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, & quascunque Domos, & Ecclesias, tam Fratrum, quam Monialium ejusdem Ordinis ubique locorum & postmodum ad omnes Ecclesias tum Clericorum Secularium, tum cujusvis Ordinis Regularium Salmantici, & Oppidorum de Sahagun, seu Sancto Facundo Patriæ Servi Dei, nec non Cææ Patriæ ejus genetricis aliis in eadem formâ Brevis Literis sub diebus 15. Octobris, & 24. Novombris anni 1693. ac demum felicitis recordationis Innocentius Papa X. etiam Prædecessor Noster decreto memoratæ Congregationis Rituum approbato die 14. Februarii anni 1647. ad omnes Ecclesias Civitatis, & Diocesis Burgenfis extenderunt.

Effatum S. R. E. Cardinalium Congregationis.

§. 19. Magisque interim famâ Sanctitatis & miraculorum percrebescente, & in vim specialis commissionis ab ejusdem recordationis Paulo Papa V. pariter Prædecessore Nostro signatæ confectis de annis 1622. & 1623. bonis novis processibus remissorialibus, & compulsorialibus in præfatis Civitate Salmantici, & Oppido de S. Facundo, cum supervenerint Notoria Decreta similis recordationis Urbani Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri, signata postmodum fuit à memorato Innocentio X. Prædecessore Commissio reassumptionis causa in statu, & terminis, in quibus reperiebatur, eaque directâ præfata Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Congregationi, quæ attentis dictis Litteris in formâ Brevis præfati Clementis Prædecessoris super concessione, & extensionibus respectivè indulti Officium, & Missam celebrandi die 27. Junii 1651. ad relationem bon. M. Julii tunc tituli Sanctæ Susannæ Presbyteri, Cardinalis Sacchetti nuncupari, declaravit constare, cultum Beato Joanni exhibitum fuisse, & nunc exhiberi vigore dictorum indultorum Apostolicorum, & propterea hujusmodi casum inter exceptos in Decretis ab eodem Urbano Prædecessore super non cultu editis comprehendendi; cumque in eorundem Decretorum executionem ex præfatis prioribus processibus ante indultam venerationem peractis plenè constitisset de puritate Fidei, Sanctitate vitæ, & virtutibus requisitis ad solemnem Canonizationem, quorum relatio olim, ut præfertur, commissa Cardinalibus, Baronio, Antoniano, & Bellarmino, & à dicto Cardinale Antoniano subscripta exhibita fuit unâ cum summario testium, & actuum desuper confecto, memoratæ Congregatio Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum die 21. Julii anni 1668. ejusdem memoriæ Petro tituli S. Calisti Presbytero Cardinali Vidono nuncupato referente, censuit, procedendum esse ad ea, quæ post venerationem supervenerant, si placuisset piæ memoriæ Clementi Papæ IX. etiam Prædecessori Nostro, qui factâ prius prædictorum relatione eadem die benignè annuit.

Et perpen-
sâ miracu-
lorum famâ
de Canoniza-
tione pera-
gendâ sen-
tentia.

§. 20. Quare in Congregatione coram ejusdem memoriæ Clemente Papæ X. similiter Prædecessore Nostro habitâ die octavâ Martii anni 1672. Ad relationem præfati Cardinalis Vidoni discussio dubio de iis, quæ post indultam Beato Joanni venerationem supervenerant, idem Clemens X. Prædecessor Consultoribus prius auditis, de Venerabilium Fratrum Nostrorum, tum Suorum, S. R. E. Cardinalium iisdem Sacris Ritibus præpositorum consilio decrevit,

ex dictis posterioribus processibus in eadem Sacra Congregatione die 25. Septembris anni 1663. examinatis & approbatis constare de eorum relevantia, nempe continuatione famæ Sanctitatis, devotionis Populorum, & miraculorum, & percrebescentiâ cultus, & venerationis, ac ex octo inter plura selectis duo miracula concludentissimè probata esse declaravit. Primum scilicet Elisabethæ Gomez della Roccha, quæ cum cancro in mamilla sinistra per sesquiannum inveterato, & in molem insignem aucto, & altero subtrâ brachium in latere sinistro propè cor Medicorum judicio insanabilibus laborasset, post accessum ad sepulchrum ejusdem Beati, illiusque invocationem, nec non post Confessionem Sacramentalem, & susceptionem Sanctissimæ Eucharistiæ, ac impositionem habitus illius super mammillam, mane sequenti iteratâ Beati invocatione, sana, & incolumis à prædictis canceris, & acutis, quibus afficiebatur doloribus, absque ullo signo, seu vestigio prædictæ infirmitatis comperta est: Et quartum Emmanuelis de Castello gibbosi per triennium ex ruptura spinæ dorsii ob lapium è scalâ, dum erat novennis, qui cum propterea cogeret curvatus medio corpore, manibus super genua appositis, & cum adjutorio subtentaculi sic incedere, ut se erigere volens cum impetu procideret, ductus à matre ad sepulchrum Beati, ut novem dialibus precibus incumberet, illuc ingressus ab ingentibus quos patiebatur doloribus, & ab incurvatione sanus evasit; consolidatis nimirum vertebra disrumpis, cruribusque sic corroboratis, ut domum maternam veloci gressu redierit, subtentaculum in altum gerens, ac demum etiam à gibbositate convalescit, postquam denuò à matre in Capellam Beati ductus Evangelium in fine Missæ lectum audivit, permanente tamen osse elevato, ubi prius erat gibbosus. Quapropter eadem Congregatio, audito prius in voce, & in scriptis fidei Promotore, & accessit denuò Consultoribus, communi omnium voto censuit, eundem Clementem X. Prædecessorem quandocunque sibi visum fuisset, posse ad solemnem ejusdem Beati Joannis de Sancto Facundo Canonizationem juxta S. R. E. Ritum, & Sacrorum Canonum Decreta devenire, eumque Sanctum cum Deo regnantem definire, atque universali Ecclesiæ colendum, & venerandum proponere.

§. 21. Verum prædefunctis interim eodem Clemente X. ac similis memoriæ Innocentio Papa XI. etiam Prædecessoribus Nostri solemnè adhuc Canonizatione non expletâ, cum aliæ preces memorato Alexandro Prædecessori à Charissimo in Christo Filio Nostro Carolo II. Hispaniarum Rege Catholico, nec non à pluribus Venerabilibus Fratribus Nostri, tunc Suis, ejus Nationis Episcopis, ac Dilectis Filiis, Universis S. Augustini Ordine, ac pluribus ejusdem Nationis Civitatibus fuissent humiliter porrectæ, ac subinde Venerabilis Frater Noster, tunc Suus, Flavio Episcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Chisius nuncupatus, vice Venerabilis Fratris Nostri, tunc Sui, Alderani Episcopi Ostiensis ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati, præfata Congregationis Præfati, morbo tunc detenti, in Consistorio ipsius Alexandri Prædecessoris secreto summam processus, suamque, & aliorum Collegarum suorum dictæ Sanctæ R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum Sententiam exposuisset, cæterique in eorum Consistorio presentes Cardinales ei unanimitè suffragio adhæsisset: Et postea in alio publico Consistorio, quo præter Cardinales præfatos etiam supradicti Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episc. in Urbe commorantes, & Dilecti Filii Romanæ Curie Prælati, ipsiusque Alexandri Prædecessoris familiares convenerant, Dilectus etiam Filius Joannes Franciscus Fagnanus Noster, tunc suæ Consistorialis Aula Advocatus, de vitâ, virtutibus, & miraculis dicti Beati Joannis de S. Facundo dixisset, ac nomine Regis, Episcoporum, Civitatum, & Ordinis præfatorum supplices deprecationes pro ejusdem Canonizat. detulisset; Idem Alexander Prædecessor ejusmodi deprecationes libenter excepit, quibus

Gesta de
ejusdem
Canoniza-
tione sub
Alexandro
VIII.

Sanctorum albo adscribendus sibi proponebatur impiger contentionum sedator, ut astuantibus undique seculi hujus tot privatarum simultatum, & efferatorum bellorum fluctibus, atque procellis, ad ejus praesidium conversi Fideles, pacem & concordiam exposcentes, firmam tranquillitatis stationem, cum in via hujus vitae, cum in Coelesti Hierusalem, quae est beata pacis visio, felicissimè consequerentur.

Et pro ea peragenda designata dies.

§. 22. Antequam tamen ad rei tam gravis deliberationem procederet, orationibus, jejuniis, aliisque piis operibus publicè indictis, & concessa ad hoc Fidelibus Indulgentiâ, Divinae voluntatis beneplacitum, sine praevia cujus intelligentiâ infirma fuisset quaelibet deliberatio, explorare fategit. Ac ad omnes accuratissimi Judicis partes explendas, exquisivit primum sententias praefatorum Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc Suorum, dictae S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Urbe commorantium, qui in Consistorio semipublico ad hunc effectum postmodum habito, praesentibus etiam Nostris, tunc Suis, & Sedis Apostolicæ Notariis, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ex iis quae ab eo proposita, & relata fuerunt, Beatum Joannem de S. Facundo Canonizandum esse unanimibus suffragiis aperte decreverunt. Unde gaudens ex animo, hujusmodi Canonizationem in magnam Dei gloriam, splendidumque Ecclesiae Catholicae decus celsuram esse aperte intellexerit, ac decimam sextam tunc decurrentis mensis Octobris diem praeclearae hujusmodi solemnitati designans, perfectam eorumdem pietatem ad perseverandum in effundendis ad Dominum infallibilis veritatis enixis precibus, impensè hortatus fuit, ut ipso inspirante praestantissimo huic negotio supremam rite manum imponere posset.

Eadem die Canonizatio solemniter facta.

§. 23. His peractis, cum nihil aliud desideraretur eorum, quae ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, praefatae S. R. E. consuetudine ac novorum Decretorum praescripto agenda, & observanda erant, idem Alexander Praeceptor praedicta designata die sextâ decimâ Octobris anni praeteriti millesimi sexcentissimi nonagesimi, Pontificatus sui secundi, in Sacro-Sanctâ Beati Petri Apostolorum Principis Basilicâ, quo solemnî Ritu cum Venerabilibus Fratribus Nostris, tunc Suis, ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Dilectis Filiis dictae Romanae Curiae Praelatis Officialibus, & Familiaribus suis, Clero Seculari, & Regulari, ac maximâ populi frequentia manè convenerat, iteratis primò, secundò, & tertio, pro Canonizationis Decreto instantiis, per Dilectum Filium Nostrum, tunc Suum, Petrum S. Laurentii in Damaso Cardinalem Ottobonum nuncupatum, nomine memorati Charissimi in Christo Filii Nostrî Caroli II. Hispaniarum Regis Catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, & post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam, ad honorem Sanctissimae, & Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae, & Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostrî Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac sua maturâ deliberatione praehabita, & Divinâ ope saepius implorata, ac de praefatorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, tunc in Urbe existentium Consilio, Beatum Joannem de S. Facundo una cum Beatis Laurentio Justiniano, Joanne à Capistrano, Joanne de Deo, & Paschale Babylon Sanctum esse decrevit, & definit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesia universali quolibet anno die ejusdem festo memoriam ipsius inter Sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recolî debere. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus, Sancti Amen.

Et concessit fidelibus Indulgentia.

§. 24. Eademque auctoritate omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus verè poenitentibus, & confessis qui annis singulis in die festo ejusdem S. Joannis ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accessissent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis ei, aut aliâs quomodolibet debitis

poenitentis misericorditer in Domino relaxavit in forma Ecclesiae consueta.

§. 25. Quibus peractis Deum Patrem aeternum, Regemque gloriae Christum Dominum Patris Sempernum Filium, & Sanctum Paracletum Spiritum unum Deum, unumque Dominum Laudibus, & Confessionibus veneratus, Sacroque hymno Te Deum solemniter decantato, peculiari oratione etiam per dicti Beati Joannis merita precatus fuit, atque Missae ad Altare Beati Petri Apostolici ejusdem Beati Joannis commemoratione à Venerabili Fratre Nostrò tunc Suo, Palutio Episcopo Sabinens, S. R. E. Cardinale de Alteris nuncupato solemnî ritu celebratae interfuit, omnibusque Christi Fidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit.

Gesta post Canonizationem factam.

§. 26. Ne autem de Decreto, definitione, adscriptio, Statuto, relaxatione, concessione, aliisque praemissis, ex eo quòd super illis ipsius Alexandri Praeceptoris Litterae ejus superveniente obitu confectae non fuerant, valeat quomodolibet haeritari, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd Decretum, definitio, adscriptio, Statutum, relaxatio, concessio, aliaque praemissa à dictâ die sextâ decimâ Octobris suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri Praeceptoris Litterae sub Datum ejusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur; Quòdque praesentes Litterae ad probandum plenè Decretum, definitionem, adscriptionem; Statutum, relaxationem, concessionem, aliaque praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Alexandri VIII. super hac re Decretorum confirmatio.

§. 27. Ceterum quia difficile foret praesentes Nostras Litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.


Transsumptorum fides.

§. 28. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1691. Idibus Julii Pontificatus Nostrî Anno Primo.

Sanctio poenalis.

D. 25. Julii 1691. P. A. Primo.

† Ego INNOCENTIUS Cathol. Ecclesiae Episc. &c.



- Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.
- Ego Flavius Episcopus Portuens. Cardinalis Chifius.
- Ego Jacobus Episcopus Tusculan. Card. Franfonius.
- Ego Palutius Episcopus Sabinensis Card. de Alteris S. R. E. Camerarius.
- Ego F. Tit. S. Mar. in Via Presb. Card. Maidalchini.
- Ego Carolus Tit. S. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barberinus.
- Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presb. Card. Acciaiolus.
- Ego Gaspar Tit. S. Mariae Transtiberim Presb. Card. Carpineus.
- Ego Casar Tit. Sanctissimae Trinitatis in M. Pincio Presb. Card. d'Estrees.

Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presb. Card. Nerlius.
 Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri in Capite Presb. Card. Cafanate.
 Ego Galeatius Tit. SS. Quirici & Julittæ Presb. Card. Marefcottus.
 Ego Fabritius Tit. S. Chryfogoni Presb. Card. Spada.
 Ego P. Thomas Houardus Tit. S. Mariæ super Minervâ Presb. Card. de Norfolkia.
 Ego Savus Tit. S. Petri in Vinc. Presb. Card. Mill.
 Ego Fr. Laurentius Basilicæ XII. Apostolorum Card. de Laurea.
 Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Araceli Presb. Card. de Angelis.
 Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Gœssen.
 Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presb. Card. Petruccius.
 Ego Joseph Saens Tit. S. Balb. P. Card. de Aguirre.
 Ego Leander Tit. SS. Nerei, & Achillei Presb. Card. Colloredus M. Pœnitentiarius.
 Ego F. Tit. SS. Joan. & Pauli Presb. Card. Carafa.
 Ego Bandin. Tit. S. Th. in Parione P. C. Panciaticus.
 Ego F. Tit. S. Clementis Presb. Card. de Abdua.
 Ego Tuffanus Tit. S. Agnetis extrâ mœnia P. Card. de Janfon de Fourbin.
 Ego Jo. Bapt. Tit. S. Laurentii in pane, & perna P. Card. Rubinus.
 Ego Jo. Bapt. Tit. S. Bern. Presb. Card. Costagutus.
 Ego Fulvius SS. Co. & Dam. Diac. Card. Altallius.
 Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Card. Diaconus Ottobonus S. R. E. Vicecancellarius.
 Ego Carolus S. Mariæ in Cosm. Diac. Card. Bichius.
 Ego Aloysius S. Mar. in Porr. D. Card. Homodeus.
 Ego Jo. Franciscus S. Adriani Diac. Card. Albanus.
 Ego Francisc. S. Angeli in foro Pisc. D. C. Barberinus.
 Ego Laurent. S. Mar. in Aquiro D. Card. de Alteriis.

B. Card. Prodatarius.

F. Card. Albanus

Visa de Curia J. Sacripantes

Loco † plumbi D. Ciampinus

Registrata in Sec. Brevium.

IV. Historica relatio vitæ, mortis, miraculorum, Beati-
 ficationis & Canonizationis B. Cajetani à Cle-
 mente X. in Sanctorum numerum relati.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Seruus Servorum Dei, ad perpetuam rei memo-
 riam.

Exordium

Rationi congruit, & convenit æquitati, ut ea
 quæ Romani Pontificis providâ deliberatione,
 ac Venerabilium Fratrum Suorum S. R. E. Cardina-
 lium nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum &
 Episcoporum tunc in Romanâ Curia commorantium
 unanimi Consilio decreta, definita & statuta fue-
 runt, licet ipsius superveniente obitu Litteræ Apo-
 stolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debi-
 tum consequantur effectum.

B. Cajeta-
 nus à Cle-
 mente X.
 Canoniza-
 tus.

§. 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Cle-
 mens Papa X. Prædecessor Noster piè secum animo
 revolveus, inter alia Divinæ largitatis Beneficia il-
 lud esse perenne, quod ad eradicanda falsorum dog-
 matum zizania, quæ in Ecclesiæ florentis agro
 inimicus homo jugiter superfeminare non cessat.
 Cœlestis Paterfamilias stans temporibus dignos ope-
 rarios miserit, qui imminente malo occurrerent, &
 succrescentem perniciosam segetem amoveant, ac
 inter cæteros anteaucto seculo, quo impius hæresi-
 cha, & religiôsæ militiæ defertor Lutherus, alique
 sacrilegi Sectarii, Sanctæ Sedis, & Romani Pontificis
 dignitatem exauctorare; Ordines Regulares elimina-
 re, relaxatam Cleri disciplinam criminari, usumque

& venerationem Sacramentorum obliterare temera-
 rio conatu satagebant, fuisse, Divinâ Providentiâ
 excitatum spiritum fidelis servi sui Cajetani Thienæi,
 qui ad eorumdem novatorum confusionem aliud suave,
 & à tot tantique affectis receptum Religionis
 jugum Apostolicâ Auctoritate in ipso Vaticano Tem-
 plo confirmatum instituit, quo Clerici Regulares
 sub ejusdem Romani Pontificis, & præfata Sedis
 Sanctæ immediatâ subjectione, & speciali protectio-
 ne suscepti tribus substantialibus Votis emissis Apo-
 stolicam vivendi formam omni rerum temporalium,
 & vel ipsâ emendicandi curâ posthabitâ imitaren-
 tur, collapsam Cleri, & morum disciplinam insta-
 rarent, ac venerationem, & frequentiam Sacramen-
 torum insigni pietatis, & devotionis fœnore unâ
 cum eleganti Ecclesiarum nitore restituerent; Ex
 processibus itidem jam absolutis idem Prædecessor
 plenariam certitudinem assequutus, Beatum Virum
 hujus voti cum suis alumnis compotem effectum, il-
 libatâ vitæ tenorem ad extremum usque spiritum
 perduxisse, atque ex heroicis virtutibus, quibus cu-
 mulatus, & insignibus miraculis, quibus in vitâ, &
 post mortem clarificatus fuerat, gloriosè cum eo in
 Cœlis regnare, cujus honorem in terris zelatus fue-
 rat, solemnè ritu eundem inter Sanctos Confesso-
 res adscriptis, illiusque vitam, virtutes, & miracu-
 la, nec non actorum seriem ad majorem Dei gloriam,
 & Christi fidelium ædificationem summam recen-
 sere decreverat. Quod cum nec ipse, nec similis
 recordationis Innocentius Papa XI. & Alexander Pa-
 pa VIII. ejus Successores, Nostri autem Prædecesso-
 res, morte præventi, hætenus peregerint, ne tam
 pia, & exemplaris memoria unquam obliteretur,
 sed Apostolico roborata testimonio sincerè, & veridicè
 conservetur in ævum, sequentem narrationem
 præsentibus Litteris duximus committendam.

§. 2. Natus est Beatus Cajetanus Vicentiæ clarâ
 Venetæ ditionis Civitate circâ annum reparatæ Sa-
 lutis millesimum quadringentesimum octuagesi-
 mum, parentibus Comite Gaspare Thienæo, & Ma-
 riâ Porto ambobus genere præclaris; Quem mox
 ut enixa est mater, Deiparæ Virgini obtulit, com-
 mendavitque, cujus vota benigne suscipere ipsa Dei-
 para visa est, cum semper in posterum specialibus fa-
 voribus munerans, ipseque vicissim, ut matrem illam
 tenerrimo quodam affectu sæpè compellans, ad ejus
 patrocinium in arduis omnibus confugiebat; Pietati
 à primis annis additus, oratione, elemosynis,
 aliisque piis operibus animum instruebat, cuncto-
 rum oculos in serapiens, mirum in modum, adeo
 ut ex tunc Sanctus ab omnibus nuncuparetur.

§. 3. Aliis studiis emensis, Pontificii, & Cæ-
 sarei Juris prudentiæ operam dedit, fuitque utri-
 usque Laureâ Patavi insignitus. Quique adhuc
 puer in extruendis aris, sacrisque imaginibus exor-
 nandis totus fuerat, postmodum adolescens, ut
 oppidanorum commodo, ac pietati seridè prospice-
 ret, Beatæ Mariæ Magdalenæ ædem, unâ cum
 germano fratre in proprio Thienæorum pago quem
 Rampazum dicunt à fundamentis extruxit, censu-
 que ad sacra faciendâ dotavit. Ad eam animarum
 sitiebat salutem, ut eam ob rem etiam corporum
 malè habentium servitio se in Nosocomiis manci-
 paret, ac per istiusmodi charitatis officia ægros ad
 patientiam, Dei amorem, peccatorum suorum expi-
 ationem, ac supernæ Patriæ desiderium excita-
 bat, nil intactum relinquens, quo Deo animas lu-
 crificeret, dictus propterea Venator animarum.
 Hinc novum Vicentiæ Nosocomium erexit, hinc
 Venetiæ Confessarii monitu, è cujus ore, nutu-
 que pendebat, ire contendit, ad magni, ut vocant
 Incurabilem Valetudinarii curam suscipiendam.
 Hinc Romæ, ac Neapoli, quo successu temporis
 contigit perrexisse, eadem animoolvebat, ac eâ
 sollicitudine tenebatur, & nimirum corporum si-
 mul, & animarum salutem consultum iret, infir-
 morum calamitatum utrinque. Quo factum est,
 ut grassante Venetiis pestilentia, eâ contagione
 laborantibus propriis ipse manibus inservire, ac vi-

Ejus histo-
 ria præsen-
 tibus ex-
 hibetur.

Natus &
 B. Virgini
 oblatus.

Studia,
 pietatis &
 charitatis
 exercitia.

lissima